Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26243
Copyright: Admont, Benediktinerstift



districtius innocentes debet iudicare quam iudicent homines. Cui dicendum est: quod aliter deus erga infantes debeat agere, aliter homo. Nam homo non debet exigere a natura quod ipse non dedit, et quod sibi non debet. Nec iuste redarguit homo hominem cum culpa nasci, sine qua ipse non nascitur, et de qua non nisi per alium sanatur. Deus vero recte exigit a natura quod ei dedit, et quod sibi iuste debet. Sed et hoc iudicium quo infantes dampnantur, non est alienum multum a iudicio hominum. Si quis enim vir et uxor eius ad magnam dignitatem et possessionem nullo suo merito, sed gratia sola provecti simul grave crimen inexcusabiliter committunt, et propterea iuste deiciuntur et in servitutem rediguntur: quis dicet filios quos post dampnationem generant, eidem non debere subiacere servituti, sed potius ad bona que parentes iuste perdiderunt gratis oportere restitui? Tales sunt primi parentes et filii eorum, qui iuste pro culpa sua de beatitudine in miseriam dampnati, in eodem generant exilio. De similibus itaque simile iudicium debet esse, sed de istis tanto districtius, quanto delictum eorum probari potest improbabilius. Denique omnis homo aut salvatur aut dampnatur. Omnis autem qui salvatur ad regnum celorum admittitur, et omnis qui dampnatur ab eo excluditur. Qui admittitur, provehitur ad similitudinem angelorum, in quibus nullum umquam fuit aut erit peccatum; quod fieri nequit, quamdiu est in homine aliqua macula peccati. Impossibile est itaque aliquem hominem cum aliquo peccato quamvis parvo ad similitudinem angelorum provehi, vel ad regnum celorum admitti vel salvari. Qua re quia originale peccatum est aliquod peccatum, necesse est omnem hominem in eo natum, illo non dimisso dampnari.

Queret quoque aliquis forsitan dicens. .xxiii.
si in infante peccatum, id est iniusticia, est ante baptismum, nec excusatur in potentia habendi iusticiam, et in baptismo non remittitur peccatum nisi quod prius erat, cum post baptismum sit sine iusticia quamdiu infans est, nec intelligere potest iusticiam quam servet: siquidem iusticia est rectitudo voluntatis propter se servata; quomodo non est iniustus etiam postquam